

Platonis philosophia, Athenis, et Alexandriæ legi publice, numquam sit intermissa, et multi in eius libros commentaria scriberent iugiter: quorum nos nomina plusquam LXX collegimus, attamen post eius obitum, annos DC Alexandriæ, e baiulo, philosophus effectus et a sacco ferendo Saccus cognominatus Ammonius, vixit. Qui in Hermetis libros videtur incidisse. Atque ex eis hausisse dogma hoc principiorum trium. De quibus Plotinus et Amelius eius discipuli scripserunt, post hos, horum discipulo Porphyrius, et Theodorus Asinæus, et horum auditores Iamblichus, et Syrianus, et huius Athenis successor Proclus Lycius, et post eum magnorum Platonicorum postremus ut videtur Damascius, de iisdem tribus principiis scripserunt multa satis. Et quamvis aliquid inter se different, in eo tamen fuere concordes, ut tria omnino rerum omnium, ac mundi totius facerent principia, seu tres conditores. Quod et Christus, unus de tribus, cum apud homines esset, docuit, sancti Apostoli confirmarunt et Ecclesia stabilivit. Neque mirum est, Platonicos hosce postremos, in eam sententiam venisse, quando iam Christi fides passim esset divulgata. De quibus Augustinus scripsit. Platonici, pauci mutatis Christiani fierent. Sed illud maxime omnium, videtur admirandum, quod ante Christi adventum, ante Prophetas, ante Mosem, tam clare in Ægypto atque Chaldaea, dogma hoc de Trinitate palam fuerit. Nisi quis dicat, quia Zoroaster Abramo fuerit et conterraneus, et coætaneus, ab Abramo id habuisse. Cui Deus, dum cum eo loqueretur id totum revelaverit. Idemque Abramus, quando in Ægyptum venit, id ipsum docuerit. Vel totum hoc, a patre Noe fuisse profectum, per Cham filium. Qui et Ægyptum habitavit, et filium Osirim ibi regem fecit. Et eiusdem Chumi filius Chus pater fuit Nemrodi qui regnavit in Babylone, quæ civitas Chaldæorum caput fuit. Sed dogma hoc sacrosanctum, utcumque originem duxerit, haud multis post diluvium annis innotuit, et scriptis est commendatum, a duobus illis, quos diximus sapientiæ patribus, tum ob vetustatem, tum ob rei magnitudinem, est maxima et admiratione, et veneratione prosequendum, quod tametsi, ii qui Aristoteli, plus quam et Evangelio, et his sapientibus credunt, non receperint aut comprobarint, nos libentes in lucem protulimus, ut piis saltem, sed philosophis sint, unde contra impios, qui philosophos se profitentur, et Deum non norunt aut nosce nolunt, authoritates et arma. Sed quis non multo maxime admiretur, Aristotelem ipsum in eandem cum illis, de spiritu venisse opinionem? Quando suorum sectatorum id, vel vel subolfecerit nemo. Adducamus ergo eius locum, ut qui eum tantum faciunt, sciant, se se in eius libris versandis aut oscitare, aut dormire. Habet is libello de mundo hæc verba.

Γῆν δε πᾶσαν καὶ θάλασσαν, αἰθέρα τε καὶ ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν διακόσμησασα μία ἡ διὰ πάντων διήκουσα δύναμις, ἐκ τῶν ἀμίκτων καὶ ἑτεροίων, ἀερός τε καὶ γῆς, καὶ πυρὸς καὶ ὕδατος τὸν σύμπαντα κόσμον δημιουργήσασα.

“Terramque universam et mare, ætheraque et solem, et lunam, et totum cœlum, exornavit una, per omnia penetrans potentia, ex impermiscibilibus, et alienis ære, et terra, et igne, et aqua, universum mundum condidit.”

Quam potentiam omnia penetrantem ait mox, et solem movere, et lunam, et totum cœlum circumducere. Et paulo post spiritum nominat in his verbis:

Λέγεται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα, ἡ ἐν φυτοῖς τε καὶ ζῷοις καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία

“Dicitur et aliter spiritus, ea quæ in plantis et animalibus, et per omnia penetrans animata, et fœcunda essentia.”

Hoc autem Hermetis fuerat in his:

Τοῦτον τοῦ πνεύματος, οὗ πολλάκις προεῖπον πάντα χρήζει. Τὰ πάντα γὰρ βαστάζον κατ’ ἀξίαν ζωοποιεῖ, καὶ ὑρέφει, καὶ ἀπὸ τῆς θείας πηγῆς ἐξήρτηται, ἐπίκουρος πνεύμασι καὶ ζωοῖς ἄπασιν ἀεὶ ὑπάρχων

Hoc spiritu, de quo multoties ante dixi, omnia indigent; omnia enim ferens, pro dignitate vivificat, et nutrit, et a divino fonte pendet, audiutor spiritibus et animalibus cunctis semper existens.